Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3207
Quelle:
Copyright:

tium eſt: *Credere in ſanctam eccleſiam et carnis reſurrectionem eſt fundamentum fidei, a quorum fide in fine mundi ſunt multi receſſuri. Fundamentum fidei ſecundum apoſtolum eſt credere quia deus eſt et quia requirencium ſe eſt remunerator.* &c. Autor in ſacris Literis, Patribus et Jure Can. Hiſtoriaque ecclesiaſtica nequaquam hoſpes Pontificem Conciliis generalibus ſubdit. Methodo ſcholaſticae minus deditus ita ſub finem concludit: *Hec collecta et maioribus meis examinanda corrigenda approbanda aut reprobanda exhibenda non volo reputari maioris auctoritatis, niſi quantum videntur in textu ſacre ſcripture et expoſicione ſanctorum Doctorum fundata, nec eſſe determinata per raciones argumenta et probaciones doctorales ſcolaſticas. Sed qui tales determinaciones habere velit, legat cujusdam magni doctoris tractatulos duos, quorum primus eſt De Priuilegijs et libertate eccleſie per aliquas conſideraciones conſcriptus et in concilio baſilien. compilatus. Secundus eſt in quo reprobat compilacionem cujusdam fratris ſimplicis de hac materia modo ſcolaſticorum doctorum per raciones et argumenta ſcribentis* &c. *Job. Gerſonis* Tractatum *de Poteſtate Eccleſiaſtica et de Origine Juris et Legum*, Opp. T. II. *col.* 225. Item *de Appellatione a ſummo Pontifice in cauſis Fidei* in negotio Libri *Job. Falkenbergii* O. P. T. eod. *col.* 303. innui puto. Quod ſi verum, erravit ſupra Librarius *Baſileenſe* Concilium *Conſtantienſi* ſubponendo.

II. *fol.* 50. absque Inſcriptione Tractatus ejusdem Argumenti in VI. tributus *Conſiderationes*, ſcriptusque tempore Concilii *Baſileenſis* contra *Eugenium* IV. ejusque *Bullam* ad Academiam *Montis Peſſulani* continentem *Declarationem Translationis Concilii Ferrariam*, qualem ad ſingulas Academias dedit, ut videre eſt in *Collect. Concc. Labb.* edit. *Venet.* T. XVIII. *col.* 883 — 84. Initium: *Conſideracio prima. Sancte eccleſie vniuerſali deo militanti. que in preſenti opuſculo venit comparanda in dignitate et auctoritatis ſupereminencia ipſi ſummo pontifici eccleſie romane ſeu alteri eccleſie particulari. attribuuntur diuerſa nomina videlicet Ciuitas dei, ortus, terra. vinea. ſponſa et ſoror chriſti ſui ſponſi* &c. Agit haec I. *Conſideratio* de Eccleſia Univerſali ejusque Membris officialibus. II. de Romana Eccleſia ſingillatim. III. de Concilio generali Eccleſiam univerſalem repraeſentante. IV. de Eccleſiae univerſalis eminentia ſuper Papam. V. de Modo aliquorum procedendi contra generale *Baſilienſe* Concilium, ſpecialiter in vna *Bulla* quae directa eſt Studio *Montis Peſſolani*. VI. demum contra Eos, qui dicunt ſe non eſſe certos de veritate alicuius partis, id eſt fluctuantes inter *Eugenium* et *Baſileenſes*. Haec, ut plurimum, verbis Noſtri, cujus Nomen tam parum, ac prioris reperio.

III.